



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 26. Quid hic præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis & omissionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42521

varem, etiam ideo, quia præceptum est, me quidem fore temperantem & obedientem, si autem non observarem, me fore intemperantem, & non inobedientem, quia hoc jejunium fit præ illud præceptum materia necessaria temperantiz, & fit materia apta obedientiz, sed non necessaria; aliud enim est objectum pertinere ad hanc virtutem, aliud esse materiam necessariam hujus virtutis, quæ enim sunt de consuetudine uti est jejunium die non præcepto, spectant quidem ad virtutem temperantiz vel aliam, non tamen sunt materia necessaria; & ita dicit Origenes nullum de facto esse præceptum in Ecclesia, impositum intuitu obedientiz, sed ex alio motivo intrinseco vel extrinseco.

139. Q. 26. Quid hic præterea sit notandum circa distinctionem specificam peccatorum commissionis & omissionis. R. seqq. Quid sit peccatum commissionis & omissionis, dictum est n. 7., si autem commissio & ommissio sint circa diversa, uti furtum & ommissio Missæ die festo, certum est distinguere specie morali: E contra si sint circa eandem virtutem & objectum, non est ita certum, nam possunt differre specie, Caj. Alv. aliique cum Gratiano d. 3. n. 166., sed plerique docent distinguere specie, ita ut multi, teste Oviedo controvers. 5. n. 1. dicant oppositum esse aperte falsum: necesse autem est id examinare, ut sciamus, quæ ratio ejusmodi peccata secundum speciem suam fit in Confessione explicanda.

140. §. 1. Aliqua peccata commissionis & omissionis, etiam si sint circa eandem virtutem & objectum, distinguuntur specie, nam odium & non amor Dei, item hæresis & ignorantia respectu ejusdem

ejusdem articuli, sunt peccata commissionis & omissionis circa eandem virtutem & objectum, hæc autem distinguuntur specie, quia diversa est inhonestas & notabiliter major difformitas à natura rationali, positivè odisse Deum, volendo ei malum, & purè omittere amorem illius præceptum; Item positivè negare mysterium Trinitatis per hæresin, & purè non credere, vel non addiscere, uti rectè probat *Dicast. de Pœn. d. 9. à n. 396.*; Item longè major est inhonestas positivè jugulare hominem, & permitttere emori fame: quod etiam à posteriori colligitur, nam si non differrent specie, non esset opus illa speciatim explicare in Confessione, quod licèt concedant *Arav. Montesin. & alii*, tamen *Gonet* meritò dicit hoc non esse tutum, unde ipse putat ideo debere speciatim explicari, quia quamvis non sint distinctæ species, tamen etiam non sunt tantùm circumstantiæ aggravantes, sed sunt partes diversæ integrantes unam speciem, uti innuit *S. Th. 2. 2. q. 79. a. 3. O.*, ex odio enim & non amore Dei conflatur una species, quæ est unum specie essentiali peccatum contra charitatem Deo debitam; & similiter loquitur in aliis materiis. *Contrà* est, duæ illæ partes integrantes, si comparentur inter se, vel distinguuntur specie morali vel non; si distinguuntur, sunt speciatim confitendæ; si non distinguuntur, ergo nec distinguuntur rapina & furtum, aut furtum & detractio, pariter enim dicam esse tantùm partes integrantes, quæ conflent unam speciem essentialem injustitiæ, & ita de aliis innumeris peccatis in eadem specie subalterna, quæ tamen

certum est distingui specie infimâ, & in Confessione esse speciatim explicanda.

141. *Obji.* 1. *S. Thom.* 1. 2. q. 72. a. 6. expressè docet commissionem & omissionem non differre formaliter specie. Quod *Conf.* celebri illo effatur *S. Ambrosii*, *si non pavisti, occidisti*, id est, si non pavisti esurientem, quando id facere tenebatur moraliter loquendo eum occidisti, ergo non pascere & occidere sunt ejusdem speciei. *Respon.* *Thom.* 2. 2. q. 79. a. 2. 3. & 4. expressè docet peccatum transgressionis, id est, commissionis, esse speciale peccatum, distinctum à peccato omissionis: ut ergo hæc loca concilientur, dicendum est, quòd in priore loco velit non differre specie quando præceptum affirmativum & negativum materialiter tantùm differunt, secundùm dicendum n. 144., & ideo ibi expressè addit, quando procedunt ex eodem motivo & ad eundem finem, utiturque exemplo avari, qui furatur non dat, quæ debet: In posteriore autem loco vult distingui specie, quando nempe præceptum negativum & affirmativum sunt formaliter diversa, qualia sunt in casibus n. 140. relatis, id est, que hic utitur exemplo, si quis contra præceptum affirmativum imperans honorari paratus, omittat honorare, cum deberet, & contra præceptum negativum prohibens inhonorat inferat eis contumeliam aut injuriam, quæ potest distingui specie. *Ad Conf.* dist., *si non pavisti, occidisti*, æquivalenter, quantum ad effectum peccati sicum, qui est mors, c., moraliter, quantum ad eandem specie malitiam, n.

142. *Obji.* 2. Si explodam in hoc, quod video, occidam hominem, est peccatum ejusdem speciei

ciei, sive sciam sive culpabiliter ignorem esse hominem, ergo etiam est ejusdem speciei, sive sciam & discredam, sive culpabiliter ignorem & non credam mysterium fidei. *R. n. conseq.*, quia utraque occisio semper est peccatum commissionis, sive causetur ex scientia, sive ex ignorantia culpabili, quia per utramque occisio talis fit voluntaria, quod sufficit ad idem homicidium: E contra positivè discredere est peccatum commissionis habens longè aliam inhonestatem ab illo, quod est omittere credere, vel non discere mysteria, quod est peccatum solius omissionis, ergo non est paritas.

Inst. Ergo saltem error in fide, qui causatur ab ignorantia culpabili, erit ejusdem speciei cum errore, qui fit ex scientia, & est propriè dicta hæresis. *R.* Transeat, quia non facit ad hanc rem, cum utrobique sit commissio: Sequelam autem concedunt *Sot.* & alii multi: Negant *Vasq.* & alii cum *Dicaft.* à n. 400., nam quamvis peccatum, quod causatur ex ignorantia & ex scientia, sit ejusdem speciei, tamen in casu allato non causatur idem peccatum, quia hæresis prærequirit scientiam, cum debeat esse error cum pertinacia, quicumque autem alius error non prærequirit scientiam, ergo non est idem peccatum, quod hic causatur ex scientia & ex ignorantia. Vide *Dicaft.* suprà.

§. 2. Alique peccata commissionis & omissionis nequidem numero distinguuntur, uti rectè *Suar.* d. 3. s. 1., nam studium, propter quod omitteretur Missa die festo, est peccatum commissionis contra præceptum negativum prohibens poni impedimentum Missæ præceptæ, uti probatur

bitur l. 6. p. 2. à n. 942. (ubi etiam dicitur, quod id, quod est ejusmodi causa peccati, vel concomitaater habet ad illud, etiam sic necessarium confitendum) omissio autem illius Missæ est peccatum omissionis contra præceptum affirmativum audiendi Missam; Item furtum est peccatum commissionis contra præceptum negativum non furandi, omissio autem restitutionis est peccatum omissionis contra præceptum affirmativum reddendi ablatum, ut sic reparatur æqualitas jurium, sed hæc peccata nequidem numero distinguuntur, ergo. *Prob. minus* quia tale studium non habet aliam malitiam nisi quam habet omissio Missæ; Item omissio restitutionis etiam habet solam malitiam furti quod continuatur, ergo hæc peccata nequidem numero distinguuntur: quod etiam à posteriori colligitur, nam si esset duo numero peccata qui omisset Missam, deberet in Confessione dicere, cur & quid fecisset tempore Missæ; Item qui furatus esset, & per tres dies retinisset, deberet etiam hanc retentionem specialiter explicare, quorum utrumque est contra praxin confitentium.

145. *Obji.* Præceptum negativum obligans semper pro semper est formaliter diversum ab affirmativo non obligante pro semper, ergo commissio & omissio semper sunt contra præcepta formaliter diversa, ergo semper distinguuntur specie. *R. n. antec.* In casibus n. 140. relatis præcepta negativa & affirmativa sunt formaliter diversa, quia est alius finis prohibendi unum objectum & imperandi alterum, estque etiam longè alia inhonestas in transgressione unius quàm alterius.

rius: in casibus n. 144. allatis præcepta negativa & affirmativa differunt materialiter tantum, quia est idem finis & eadem ratio prohibendi unum & imperandi alterum, ideoque etiam in transgressione eorum non occurrit diversa inhonestas, propter ea enim prohibetur tale studium, quia intenditur honestas Missæ, quæ etiam intenditur per præceptum imperans Missam, nec est alia malitia in studio, nisi quia impedit Missam: Similiter ideo imperatur restitutio, ne continuetur furtum, nec est alia malitia in omissione restitutionis, nisi quia esset continuatum furtum, ergo talia præcepta sunt tantum materialiter diversa.

Inst. 1. Si tale studium tantum habeat malitiam omissionis Missæ, ergo dici debet peccatum omissionis, quia tale dici debet peccatum, qualis est malitia, sed malitia est omissionis, ergo & peccatum. *R. n. seq. & maj. probationis*, alioquin peccatum externum deberet dici internum, quia malitia ejus est interna: itaque denominatio commissionis etiam sumi potest ab oppositione immediata cum præcepto negativo, quale est, *non pones impedimentum Missæ tibi præceptæ.*

Inst. 2. Talis est malitia formalis, qualis est objectiva, sed malitia objectiva est omissionis, ergo & malitia formalis. *R. n. maj.*, alioquin malitia formalis actus interni, v. g. voluntatis furandi, esset externa, quia malitia objectiva est externa, uti rectè *Rhodes d. 1. q. 2. s. 2. §. 2.*

Inst. 3. Actus ille, est peccatum per omissionem ultimò constitutum, ergo absolute dici debet peccatum omissionis, quamvis dici possit

actus commissionis, ita *Gonet* n. 139. R. n. con-
seq., dicitur enim commissio, quia habet oppo-
sitionem cum præcepto negativo.

Inst. 4. Frustra ibi fingitur præceptum negati-
vum distinctum, quia posito solo præcepto affir-
mativo Missæ, si ponamus non dari illud negati-
vum, adhuc peccabitur contra præceptum affir-
mativum Missæ, si studeatur tempore Missæ, et-
go. R. Si per conceptum excludas præceptum
negativum prohibens semper pro semper non
poni impedimentum objecto præcepto, con-
cedo non peccandum contra illud; si autem sup-
ponatur illud esse, uti reipsa est, & necessariò se-
quitur ex præcepto affirmativo, peccatur contra
illud, & etiam contra affirmativum: sunt autem
distincta præcepta, quia affirmativum est posi-
tivum, de re non necessaria; negativum est ne-
turale de re necessariò mala, semper enim est in-
trinsecè malum ponere impedimentum actioni
præceptæ, tempore illo, quo est obligatio illam
ponendi. Quod *Conf.*, nam omnes fateri debent,
quòd in eiusmodi præceptis affirmativis fun-
duntur negativa, ergo.

Regulas hætenus traditas pro dignoscendo
specifica distinctione peccatorum applicabimus
ad praxin l. 6. p. 1. quando de Confessione, ubi
percurrendo præcepta Decalogi & Ecclesiæ
item alia genera peccatorum. ostendemus, quid
necessariò debeat vel non debeat in Confessione
exprimi.